

*Exptic. Term. tract. 2. c. 101.* determinat, quando animam humanam  
mediam dicit inter substantias superiores & divinas, quibus commu-  
nicat per intellectum, & animalia bruta, quibus communicat in po-  
tentias sensitivis. Quare in suâ naturâ non habet perfectiones in-  
telligibiles. sed est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima  
ad formas sensibiles. Unde ad propriam operationem indiget, ut  
sit in actu formarum intelligibilium acquirendo eas per sensitivas  
potentias à rebus exterioribus. Vid. Thomas de an. q. 7. & l. 2.  
*cont. Gentil. c. 98.* Hinc fit, quod Deus propter summam perfecti-  
onem per essentiam cognoscat, ut habet Thomas pasim, Scotus, Sva-  
rez &c, Vid. Scheibler. l. 2. Metaphys. c. 3. n. 268. seq. quomodo  
creaturarum nulla intelligit, aut non tam eminenter & perfectè.

Θ. 22. Angeli an ad intelligendum speciebus intelligibilibus  
opus habeant, ut Thomistæ docent; an verò secùs, ut Durandus, Ga-  
briel, Occam, Vasquez, Nominales aliique volunt, jam non dispu-  
to: esto illud; esto hoc. Manebit tamen, DEO Angelos imperfe-  
ctius intelligere, perfectius homine. Angeli siquidem, si cum Thomâ  
species intelligibiles illis tribuis, vel innatas illas habebunt, secundum  
quod dicitur in Lib. de causis; quod omnis Intelligentia sit plena for-  
marum Thom. de an. q. 7. vel ex rebus præteritis naturaliter interdum  
congenitas, vel interdum extraordinariè in singularibus cognoscibili-  
bus de novo revelatis à DEO impressas possidebunt, ut alii opinan-  
tur; quicquid horum placebit perinde est, quum relinquendum tamen  
sit, quod hic intelligendi modus perfectior sit illo, qui fit per species  
à phantasmatibus abstractas. Idem concedendum erit, si suppona-  
tur, Angelum citra species intelligere. Vid. Heereboord Volum. 1.  
Disp. Philos. Disp. 13. 14. & 15. intelligibilia in essentia continendo,  
fortè ut, secundum quosdam, Cœlum; quod, ut traditur, intelligit  
recipiendo rem, quam debet intelligere, non illius speciem, Vid.  
Voss. l. 2. Idolol. cap. 40.

Θ. 23. Ex his, quæ dicta sunt, constat, modum intelligendi  
in Entibus spiritualibus non esse unum eundemque, sed secundum  
perfectionis gradus eminentissimum in Primo & Summo Ente, mi-  
nus talem in reliquis spiritibus esse, gradatim descendendo usque ad  
animam nostram, quæ, ut dictum est, in his ultimum gradum tenet,  
quia ad operationes proprias opus habet speciebus, acquirendo eas  
per